



Continuatio in hoc libro

- 1 Disputationes 24. In Confessione Auguſt. Hutteni
- 2 Sadnel & Amos nos disp. 1.
- 3 Axiomas breues de ſarce phyſicalium diſtinctis M. Fied. 3 Alduini
- 4 Disp. de ſeruo Acti tum ſpora tum officio. Hofmanni
- 5 Disput. 1. de Coena Dni. eisdem. aſſerens 20 p. 107 & multa
- 6 Disput. 4. de Coena Dni. Hofmanni ^{de ſeruo & ſeruo} ex cap. 1 Cor. 10.
- 7 De noticijs Dei & voluntatis ipſius Hofmanni
- 8 Drey Vnterſchiedli ſchreiben an d. Conſistorium zu
Leipzig, von abſol. d. Sub Exorcismi
M. Georgij Lystenij

Geß

Sammelband

30

DISPUTATIO XIV.
DE ECCLESIA.

*Ex Septimo & Octavo Confessionis Augustanae
Articulis*

Ad cujus assertiones

Divinà adspirante gratià

Sub presidio

LEONHARTI HVTTERI, S. Theolo-
giae Doctoris, & Professoris publici:

Respondebit

CASPARUS RIGEMAN RIGEN-
sis Livonus.

Ad diem 18, Martij; horis antemeridianis,



WITTEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri,

Anno cl^o l^o XCVIII.



MAGNIFICIS AMPLIS-
SIMIS PIETATE, SAPIENTIA,
DOCTRINA, ET NOBILITATE
PRÆSTANTISSIMIS
VIRIS.

D. Nicolao Ecio,

D. Casparo Ab Hoven,

Consulibus Eximijs.

*D. Davidi Hitchenio Serniſſ. P. R. per Li-
voniam Secretario, & Riga civitatis
Syndico Clarissimo.*

*D. Heinricho à Bergen I. V. D. & Illustris-
simi Curlandia Principis Consiliario
Dignissimo.*

Mecœnatibus, fautoribus, & consanguineis
suis plurimum honorandis Themata
hæc Theologica

D. D.

Respondens.

DE ECCLESIA.

THESIS I.

De salutis nostræ causis confessionem hæc tenus ediderunt Protestantes : nunc quia, Gregorio etiam Magno teste, salus illa extra Ecclesiam nemini obtingit : ad ipsius Ecclesiæ naturam, qualitatem & ἀξιώματα sive dignitates explicandas ordine convenientissimo ijdem transeunt.

Greg. Mag.
ral. 35.

II.

Est verò articuli istius doctrina pontificiæ genti directè opposita : quippè quæ hunc solum locum jam olim sibi delegit, ceu sedem belli, ex quâ, sub Ecclesiæ titulo, Ecclesiam ipsam hostiliter impugnat, & tantum non funditùs evertere conatur.

III.

Variatio, quæ huic articulo obtingit, vel ob solam ταυτολογία illam, de admixtis malis & hypocritis, de quibus sequente Articulo VIII. ex professo seorsim agitur ; Prototypi sinceritatis meritò cedere tenetur.

IV.

Nos utriusq; Articuli tractationem hac vice expedituri, solum prototypi secuti, de hisce Quæstionibus συζητήσω instituemus : 1. Quòd sit. 2. Quòd vna. 3. Sancta. 4. perpetuò duratura Ecclesia, 5. Quid sit Ecclesia, & 6. quæ ejusdem certæ notæ sive γνωρίσματα.

Quæstio I. An sit Ecclesia.

V.

Esse Ecclesiam apud pios quosvis extra omnem dubitationis aleam est positum : imò apud Adversarios etiam habetur pro certo & indubitato : licet in modi descriptione illi dissentiant.

VI.

Idem docet Articulus Symboli Apostolici, quo quisque Christianus confitetur : Credo Ecclesiam.

VII.

Quâ professione sejungimur partim ab Epicuri grege, qui Deum rerum humanarum pertæsum, superarum duntaxat & cœlestium rerum curâ affici per detestandam ἀθεϊότητα fingunt : partim ab eorum ματαιολογία, qui Ecclesiæ terminos, eiusdem

Λ 2

cum

cum mundo latitudinis esse opinati, quemq; in sua religione, etiam extra cœtum fidelium & renatorum salvandum esse somniarunt. Quem errorem præ cæteris fovet Gens Calvinistica, uti patet ex Confessione Cinglij, quam paulò ante tragicum suum exitum ad Galliarum Regem scripsit, in loco de vita æterna,

VIII.

Est verò Ecclesia isthæc, quæ Esse ac credi dicitur, non idea aliqua Platonica; non spectrum quoddam in aëre, atq; atomorum cœtu obvolitans: Sed est cœtus ille visibilis vocatorum; cui semper inclusi sunt Electi & verè pij, licet illi sub oculorum κρίσις atq; censuram minimè cadant: uti infra ostenderur.

IX.

Qui ergò incerti vagantur & Academica ἐποχή usi singulare quiddam sibi imaginantur, ac nulli cœtui se adjungunt: hos nulla prorsus & nullius Ecclesiæ esse membra, ipsimet facto suo restatum faciunt.

X.

παρὰ φρασὶ κῶσ hoc loco illud primò notamus: Ex præscripto Symboli Apostolici nos credere quidem Ecclesiam; nō verò credere in Ecclesiam: Et errore haud omni carere, quòd in recitatione Symboli Niceni, vel potiùs Constantinopolitani, quædam exemplaria historiæ Ecclesiasticæ adjectam habent particulam (IN).

XI.

Nam docente etiam D. Augustino lib. de Symb. cap. 10. credere Ecclesiam, non in Ecclesiam debemus, quia Ecclesia non DEUS, sed domus DEI est.

XII.

Et, ut Ruffinus admonet, si de creaturis ac mysterijs sermo est, IN, præpositio non additur, ut dicamus, in Sanctam Ecclesiã: Sed Sanctam Ecclesiam credendam esse, non ut in DEUM, sed ut Ecclesiam DEO congregatam. Hæc itaq; præpositionis syllabà Creator à creaturis secernitur, & divina ab humanis.

XIII.

Deinde & illud observandum, Quòd, uti fideles non credunt in Ecclesiam: Ita nec Ecclesiæ se credere profitentur.

XIV.

Prophetis enim & Apostolis loquentibus aut scribentibus hoc debetur privilegium: ut illis tanquàm legatis Domini, perinde ut Domino ipsi credamus, assensu prorsus absolute, & sine ulla conditione adhibito,

Evertitur

XV.

Evertitur inde nimia illa autoritas, quam Pontificij Ecclesie veteratorie arrogare conantur, contendentes, non ex conditione, sed absolute in negotio Religionis Ecclesie credendum esse: ut veritas fidei, quoad nos, nitatur autoritate Ecclesie: & verum sit, quicquid Ecclesia decernit: falsum quicquid illa improbat.

XVI.

Cæterum quemadmodum prima hæc assertio (Esse Ecclesiam) præter autoritatem Symboli Apostolici, nititur cum primis promissionibus divinis in scriptura expressis. Ies. 59, 21. Matth. 28, 20. Ies. 55, 10.

XVII.

Sic plenissima ea est piæ consolationis, quæ fideles certi sunt, non abjectum esse à DEO genus humanum: Sed esse cœtum aliquem, qui æternum bonis ipsius fruiturus sit: esse ratas adhuc promissiones DEI: regnare adhuc filium DEI: recipere & salvare invocantes &c.

XVIII.

Porro Ecclesia simpliciter sic appellata promiscue notat cœtum vocatorum, & tam late patet, quam late orbis ipse Christianus se diffundit.

XIX.

Membra ergo Ecclesie simpliciter & generaliter sic acceptæ non sunt Electi soli & piæ fideles; qui quidem extra cœtum istum vocatorum nunquam & nusquam reperiuntur: sed omnes in universum, quotquot vel in sacro Baptismate Christo nomen dederunt; vel fidei saltem professione eidem sunt aggregati: Quos ideo Fideles (ἐν πλάτει & respectu eorum, qui foris sunt, accepto Fidelium termino) nominari usu receptum est.

XX.

Quo sensu totus Mundus rectissime distinguitur in fideles & infideles: Infidelium termino ijs notatis hominibus, qui fidem Christi nunquam ullo modo receperunt: ac ideo foris & extra Ecclesiam esse dicuntur.

XXI.

Vnde consequens. 1. ut quicumque in vocatorum grege comprehenditur: is dicatur esse in Ecclesia. 2. Quia extra hunc cœtum vocatorum constituto nemini salus obtingere potest: ideo eum præstare & efficere, ut obtingere salus alicui possit: licet hæc ipsa externa vocationis societas ad salutem non sufficiat.

XXII.

Ecclesiae hujus Typus fuit Arca Noë: extra quam uti nemo ex aquis diluvij servatus: ita extra Ecclesiam salus nemini potest obtingere. Rursus, Quemadmodum non omnes, qui in arca fuerunt servati ab interitu, itidem etiam sunt æternum salvati, licet omnes salvari potuissent: ita non omnes, quotquot in hoc universalis Ecclesiae circo ambulant, salvantur: licet & ipsi salvari potuissent.

Questio II. Quòd una sit Ecclesia.

XXIII.

Porro decernit Confessio nostra, quòd una sit Ecclesia, Symboli Apostolici imitata Aphorismum, quo non plures sed unam nos credere Ecclesiam profiteamur.

XXIV.

Nititur assertio isthæc autoritate Apostolicâ, quâ unitatis termino notantur plæraq; quæ de salutis nostræ negotio dici possunt: Eph. 4, 4. & 5. Unus est Spiritus, una spes vocationis, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus DEUS & pater omnium: Unum corpus Christi, quod est Ecclesia, cujus ipse Caput, Ephel. 1, 22. & 23.

XXV.

Hinc unus in scripturis celebratur pastor: grex unus: Ezech. 34, 23. Joh. 10, 16. una ex Judæis & gentibus Ecclesia, diruto per Christum maceris interstitio, & ex utrisq; uno facto Corpore. Eph. 2, 14. & 16.

XXVI.

Unitas hæc veræ duntaxat Ecclesiae est propria: cui ex adverso falsæ multæ Ecclesiae sunt oppositæ, quas Scriptura Malignantium Ecclesias nominat, Psal. 26, 5. quasq; Psaltes perfecto odio se odisse profiteatur. Psal. 139, 21. & 22.

XXVII.

Veritas autem Ecclesiae accidit ex conditione subjecti, partim ratione vitæ & morum, quando ea professioni externæ respondet: partim respectu doctrinæ, ut vera sit Ecclesia Christi, quæ doctrinam ejusdem puram retinet.

XXVIII.

Non quidem quòd in hac nulli sint mali admixti & hypocritæ,

eritæ, siquidem ad eum puritatis gradum ea nunquam in hoc se-
culo pervenire potest: verum quod maior piæ fidelium & cre-
dentium, quàm malorum est numerus.

XXIX,

Pari ratione Falsa dicitur, non quæ cum corrupta & de-
pravata doctrinâ Christi, planè nullos verè pios & electos:
sed pauciores tamen, rarioresq; in cœtu errantium & hypocri-
tarum longè maximo contineat.

XXX,

Quod si enim contingat, ut verbum DEI atq; Sacramen-
torum usus prorsus alicubi amittatur, ibi certè non falsa: sed
nulla penitus amplius erit Ecclesia.

XXXI,

Ergò vera Ecclesia semper malos & hypocritas habet ad-
mixtos: sed respectu cœtus verè fidelium, pauciores: Falsa con-
trà, pios etiam & verè Electos suo ambitu continet: sed erran-
tium ac hypocritarum multò plures. Unde utriq; sua denomina-
tio non à toto, sed à potiori competit.

XXXII,

Hinc *πρόσρμα* hoc inferimus: Quicumq; à vera Ecclesia,
quacunq; de causa secessionem instituit, is Schismaticus dici &
haberi debet: à falsa verò, qualis Eliæ temporibus Israelitica fuit
Ecclesia: & superioribus seculis pontificia: non modò sine cri-
mine & periculo fit discessio: sed & in sacris eadem seriò præci-
pitur. Act. 2, 40. 1. Cor. 10, 14. 2. Cor. 6, 17. Apocal. 18, 4.

XXXIII,

Cæterum ad constituendam Ecclesiæ vnitatem, ex descri-
ptione Apostolica quatuor potissimum *προσκέμενα* requirun-
tur: I. Communio capitis, quod est Christus. Ephes. 1, 22. &
cap. 5, 23.

XXXIV,

II. Consensus in doctrina, sive fidei vnitatis, qua vnum sumus
in Christo, vnum in veritate. Ioh. 17, 11. & 19. eadem mente, ead-
demq; sententiâ 1. Cor. 1, 10. XXXV.

III. Charitatis mutuae nexus: hæc siquidem perfectionis vin-
culum, in vnum perfectum Corpus Christianos devincit.

XXXVI,

IV. Vnitas Spiritus, per quem in societatem Corporis mystici,
quod est Ecclesia, sub vno capite Iesu Christo copulamur.

37. Porro

XXXVII.

Porro una hæc Ecclesia, status & consummationis ratione
rectissimè distinguitur in Triumphantem & Militantem.

XXXVIII.

Triumphans eam Electorum partem continet, qui ex hac
vita mortali, ad beatam & cœlestem illam migrarunt patriam.

XXXIX.

Hos ab Ecclesia excludere minimè licet; nisi fortè aut
electos eos esse negare: aut duas comminisci Ecclesias libeat:
Quod utrumq; cum fide Christiana pugnat.

XL.

Militans Ecclesia est, quæ doctrinam Christi professa, sub
ejusdem Christi signis, hoc in mundo, contra potestates adver-
sarias, nempe Diabolum, peccatum, carnem & mundum pu-
gnare necessum habet.

XLI.

Hæc Militans Ecclesia rursus vel æstimatur ex signis visi-
bilibus, cultu DEI, prædicatione externa verbi, Sacramento-
rum ritibus sub aspectum & judicium nostrorum oculorum ve-
nientibus: Et hinc *visibilis* appellatur.

XLII.

Vel pressiore consideratur modo, quo sensibus externis
minimè patet, sed soli Deo, & Servatori Christo est cognita, qui
fidem cordis, & intimos ejusdem scrutatur recessus, ac oves su-
as probè novit, Ioh. 10, 14. Et ideò *Invisibilis* respectu nostri
dicitur.

XLIII.

Hæc solis constat Electis, ac nihilò magis admittit impios
aut hypocritas, quàm beatitudo cœlestis damnatos recipit: ac
proinde cœtus credentium sive prædestinatorum ad vitam eter-
nam definitur.

XLIV.

Illa eorum omnium complexu constat, quæ eadem fidei
Christianæ professione, & eodem Sacramentorum usu, saltem
aspectabili, & sensibus ipsis perceptibili colligata est: ac proinde
congregatio vocatorum, amplectentium verbum Dei, & utens
tium Sacramentis describitur.

XLV.

Dicitur a. Ecclesia Electorū Invisibilis non ideò, quòd Electi
pièq; fideles, ut homines alij, videri non possint: Quatenus enim
corpora

pora sunt, non Spiritus, quatenus terreno isto atque aspectibili incolatu utuntur, fruuntur: eatenus certè oculorum nostrorum *ἡγιῶν* non effugiunt.

XLVI.

Verùm idèd, quia Electio ipsa Dei est invisibilis, & Electi, quatenus Electi, sensibus externis, mininè omnium oculorum iudicio patent: Sed soli Deo sunt noti, qui novit suos 2. Tim. 2, 19.

XLVII.

Quemadmodum enim, Apostolo teste, non qui in propatulo, sed qui in occulto est, est Iudæus, Ita Christianus etiam verus & electus fuerit, non qui in propatulo, sed in occulto est Rom. 2, 29.

XLVIII.

Et sanè Ecclesia isthæc Electorum, Invisibilis manebit ad diem usq; novissimum: Quam ob causam etiam in Symbolo nos credere (non videre) Ecclesiam profiteamur.

XLIX.

Verùm enimverò Electi non tota sunt Ecclesia, ne quidem, si de vera duntaxat agatur. Nam Ecclesia Christi non Interiori solum fide constituitur: sed externa etiam dispensatione verbi & Sacramentorum: Quatenus autem hoc externo ritu peragitur, eatenus Vera Ecclesia, sanè est visibilis. Distinctè ergò, modo nunc explicato, loquendum est pontificijs de Ecclesia, si conditio ejus aspectabilis rectè explicanda sit.

L.

Bis verò insulsi & absurdi deprehenduntur Romanenses, quòd distinctione hac neglectâ, partim Ecclesiam absolute ac simpliciter, & sic omnem visibilem esse pugnant: partim quòd nostris Doctoribus, de Ecclesia, verùm diversâ, & diverso respectu, utrumq; prædicantibus, *ἀντιφασιν* & contradictionis implicationem inscite ogganniunt.

LI.

Porro vnitatem Ecclesiæ non labefactat, quòd multæ particulares sive Topicæ dicuntur esse Ecclesiæ, locis, regionibus, provincijs, quin & regnis orbis Christiani distinctæ.

LII.

Manet enim nihilominus vna tantùm Catholica Ecclesia, particulares illas omnes, ceu mater filias suo ambitu complectens. Vna enim est columba mea, vna est perfecta mea. Cant. 6, 8.

B

LIII.

Ratio affirmati est isthæc, Quia vnitas Ecclesiæ non consistit in loci, temporis, corporum, aut ulla cuiusquam rei externa conditione: sed in conjunctione fidei, & Spiritus ipsius vinculo.

LIV.

Hinc adeò fit, ut quotquot fide ista participant, & ubicunq; Sacramenta ex institutione Christi dispensantur: unitate ista omnes, quantumvis etiam locorum intervallis disjuncti ac dissiti, contineantur.

LV.

Ab hac unitatis Ecclesiæ formâ & societatis sive communio- nis universalis complexu Symbolum Apostolicum Catholicam appellatæ voluit Ecclesiam.

LVI.

Accedit verò & altera appellationis ratio, verùm minùs propria, à Temporis conditione petita. Cùm enim Christianismum summa calamitas per hæreses varias occupasset, & tamen unusquisq; suam opinionem, pro vera Christi doctrina obtruderet: obtinuit tandem usus, confirmantibus hoc ipsum Imperatorum quoq; legibus, ut Catholici dicerentur, qui universalem doctrinam Prophetarum & Apostolorum de una & æterna divinitate filij Dei amplectebantur.

LVII.

Quam utramq; ob causam, Catholicorum nomen negari nobis nullo modo vel potest vel debet.

LVIII.

Ridiculi verò sunt pontificij, qui Ecclesiam appellari Catholicam volunt à propagatione doctrinæ, quæ tempore eodem per universum terrarum orbem, una prorsus eademq; sonet: Et talis cùm sit Pontificiæ doctrinæ ratio: meritò igitur suæ Ecclesiæ hanc appellationem competere dicuntur.

LIX.

Vtraq; enim præmissarum falsissimis nititur principijs. Et major quidem propositio vitiosa laborat definitione ejus, quod propriè in hoc articulo dicitur Catholicum.

LX.

Neq; enim, uti patet ex suprâ dictis, Catholicum definitur, quòd ubiq;, semper, & ab universis maximè sit creditum: vel etiam Catholica dicitur Ecclesia, quæ ubiq; semper existit.

LXI.

Quod si enim hæc staret definitio, statim foret consequens,
neq;

neq; doctrinam Christi, neq; Ecclesiam ab ipso collectam dici potuisse Catholicam: nunquam enim factum, ut ubiq; , semper & ab omnibus ea fuerit recepta & approbata.

LXII.

Consequens foret & illud, Nihil magis Catholicum esse quam impietatem & omnis generis vitia: ac malignantium Ecclesiam omnium esse καθολικωτάτην: quippe quæ tam latè fermè patet, quàm patet ipse orbis. LXIII.

Verùm communiōe sanctorum, & universali credentium amplexu definitur id, quod Catholicum dici debet: ac proin Catholica fuerit Ecclesia, congregatio sanctorum sive Electorū, quī fidei professione & Spiritus vinculo, quotquot in mundo universo vel nunc vivunt, vel aliquando vixerunt, sic in unum societatis corpus coalescunt, ut bono summo uno atq; eodem universi participent, nulla interim vel loci, vel temporis, vel personæ habita ratione. LXIV.

Minor propositio omni fide caret. Neq; enim Idolomania Pontificia unquam totum terrarum orbem invasit, Occidentem quidem Papatus opplevit: Orientē autem nunquam occupavit, ne ijs quidem temporibus, quibus fatiscere prorsus Orientale Christianorū imperium cepit. LXV.

Notum est, quo Laconismo olim Græci, Pontifici Romano *Ioan. Ioanni xxii. Græcarum Ecclesiarum dominatum sibi arroganti, Mandevil responderint, in hunc modum: Potentiam tuam summam erga tuos subditos firmiter credimus: Superbiam tuam summam tolerare non possumus: Avaritiam tuam satiare non valemus: Diabolus tecum, quoniam Dominus nobiscum.* *la lib. i. c. 17.*

LXVI.

Sic cū in Concilio Lateranensi, Græcorum legati in quædā Pontificiæ religionis capita consensissent: adeò hoc factum Ecclesijs Orientalib⁹ displicuit, ut partim exilio: partim Excommunicationis fulmine, huiusce criminis pœnam luere illi fuerint coacti. LXVII.

Iam si provinciarum amplitudine, & regnorum aut hominū numero Catholicæ Ecclesiæ Essentia esset describenda: longè profectò rectiùs Orientali Ecclesiæ, quàm occidentali sive Pontificiæ dignitas isthæc conveniet: siquidem historiographis fide dignissimis attestantibus, duplo aut etiam triplo hanc illa regnorū & hominum numero superat. B 2 Porro

LXVIII.

Porro unitatis Ecclesiae laudem minimè infringunt dissensionēs sive schismata, ijs de rebus mota, quæ ipsum fundamentū fidei non concernunt, Spiritusq; vinculum non dissolvunt.

LXIX.

Exemplo esse potest Ecclesia Corinthiaca, in quā varia schismata fuisse excitata, testis est Apostolus 1. Cor. 11, 18.

LXX.

Quod verò grunniunt Pontificij, non solum Schismata, sed & hæreses varias apud Lutheranos esse excitatas, ac proinde falsæ Ecclesiae notam ipsis inurendam clamitant: id verò frivolū est.

LXXI.

Neq; enim hæreses unquam extra Ecclesiae veræ pomeria extiterunt, vel extare etiam possunt: Quemadmodum lolium vix ullibi magis nascitur, quàm in agro, bono semine confito.

LXXII.

Id quod dilucidè etiam evincit Apostoli Aphorismus, non simpliciter dicentis, oportet hæreses esse: sed cum *προσδιορισμῶ* ac determinatione, manifestè digitum intendente ad veram Ecclesiam: Oportet hæreses esse IN VOBIS, 1. Cor. 11, 19.

LXXIII.

Sic Act. 20, 30. in sua valedictoria, Ex vobis ipsis, inquit, Apostolus, exurgent viri, loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.

LXXIV.

Verum non ideò veræ Ecclesiae de sua unitate quicquam decedit, si vel maximè ex ejus quasi gremio, multi profiliant hæretici: siquidem ex nobis quidem prodierunt, sed non erant ex nobis, 1. Ioh. 2, 19.

LXXV.

Et sanè si hæc Pontificiorum cavillatio locum obtinere debet, nulla unquam dari poterit Ecclesia vera: siquidem hæc ipse fuit fors omnibus temporibus, ut ex ea hæretici sint egressi; id quod de primitiva etiam Ecclesia ab ipsis Apostolis, plantata, verè affirmari potest, ex qua Ebionitas, Nicolaitas, Cerinthianos egressos esse, liquidò constat.

LXXVI.

Tandem unitatem hanc Ecclesiae non tollit Rituum sive Cere-

Ceremoniarum dissonantia, quarum in nostris Ecclesijs aliquis esse solet usus.

LXXVII.

Nam ut rectè Confessio nostra infert: *Satis est ad veram unitatem Ecclesie consentire de doctrina Evangelij, & administratione Sacramentorum: Neq; necesse est, ubiq; esse similes traditiones humanas, siue ritus aut ceremonias ab hominibus institutas.*

LXXVIII.

Et sanè jam indè ab Apostolorum temporibus, dari nullum tempus potest, quo universalis in ritibus siue Ceremonijs Ecclesie fuerit consensus & conformitas.

LXXIX.

Quin imò de tali consonantia ne Romana quidem Ecclesia in hunc usq; diem gloriari potest, in qua, si nihil aliud, Monastici saltem ordines distincti, & diversa celebrandi Sacrificij Missatici officia dissonantiam ingentem pariunt.

LXXX.

Præterea & impossibilis, & inutilis, & minimè omnium necessaria est illa rituum in Ecclesia conformitas: Impossibilis quidem propter diversa humani arbitrij iudicia, & crebras temporum, subjectorum & obceptorum vicissitudines ac mutationes. Inutilis, quippè cum servitutis judaicæ jugo vel maximè conjuncta. Minime deniq; necessaria: quia ritus non sunt pars cultus divini ad salutem necessarij &c.

LXXXI.

Interim tamen Ecclesie nostræ sua etiam constat rituum & Ceremoniarum consonantia, si per ritus illos intelligas administrationem Sacramentorum secundum institutionem Christi Servatoris.

LXXXII.

Et sanè in his ritibus, si quicquam quoad substantialia mutatur: Ecclesie unitas læditur: ac ab ijs, qui hoc faciunt, ad falsam Ecclesiam fit secessio.

LXXXIII.

Quoad reliquas Ceremonias, quæ verbo DEI non sunt præceptæ, sed prædicationi Evangelij & administrationi Sacramentorum subserviunt, statuimus, Genus quidem ipsum, nempe ordinem esse necessarium, ut secundum præceptum Apostoli

stoli omnia fiant εὐχρημόνως ἢ ὑτάκτως. 1. Cor. 14, 40. Sed quod in specie hos vel illos ritus attinet: Sicut eorum similitudo Unitatem Ecclesiae non constituit: Sic dissonantia eandem non solvit aut evertit, *LXXXIV.*

Interim tamen multis de causis optandum quidem esse existimamus, ut in Ecclesijs Augustanam Confessionem amplexis, quemadmodum doctrinae, sic & rituum exacta esset conformitas: sed ut talis aliqua sub necessitatis opinione fabricaretur, neq; possibile, neq; adeo tutum fore statuimus.

Questio III. Quòd Ecclesia sit Sancta.

LXXXV.

Vnam hanc Ecclesiam, Confessio nostra sanctam etiam perhibet, rursus Symbolici Apostoli secuta tenorem, ubi credere nos profiteamur, Sanctam Ecclesiam.

LXXXVI.

Dicitur autem Sancta, 1. propter imputatam sanctitatem iusticiae Christi, qui, Apostolo teste, factus nobis est à Deo pater, uti iustitia, sapientia, redemptio, ita & sanctificatio. 1. Cor. 1, 30. quiq; sanctificat Ecclesiam ac mundat eam lavacro aquae per verbum. Ephes. 5, 26.

LXXXVII.

Deinde Sancta etiam nominatur, propter renovationem mentis nostrae, sive novam obedientiam, & inhærentem sanctitatem, excitatam per Spiritum Sanctum: Quae licet hac in vita sit imperfecta, mutila ac manca, multisq; subinde infirmitatibus peccati obnoxia; tegitur tamen innocentia & sanctitate Christi, donec tandem in altera vita ad plenum perficiatur & consummetur.

LXXXVIII.

Sanctitatis hujus respectu Ecclesia in scripturis multis illustribus elogijs ornatur, ut quod dicitur, sponsa filij DEI, 2. Cor. 11, 2. Domus spiritualis, Hebr. 3, 6. 1. Pet. 2, 5. Sacerdotium sanctum, 1. Pet. 2, 5. Domus DEI vivi, 1. Tim. 3, 15. Concilium Sanctorum, Psal. 89, 8. Tabernaculum à Deo sanctificatū. Psal. 46, 5. Populus acceptabilis Tit. 2, 14. Genus electum, 1. Pet. 2, 9. &c.

LXXXIX.

Quae sanè elogia uti Turcis, Iudæis, alijsq; infidelibus populis assignari nec possunt nec debent: ita ab horum consortio, Ecclesia discernitur, quando sancta nominatur. Neq;

X C.

Neq: vero Sanctitatis hic titulus promiscuè universis ac singulis, qui in cœtu vocatorum versantur, ex æquo competit, nisi forsitan Terminum sanctitatis, ἐν πλάτει accipere, & ad omnes eos accommodare velimus, qui per Baptismum Deo sunt dicati ac consecrati. Quos sanè sanctos suo & modo & respectu in scripturis appellari, haud negamus. X C I.

Quia vero de ea sanctitate Ecclesiæ propriè ex præscripto Scripturarū agit Confessio nostra, quæ non nisi imputatione justiciæ Christi nobis obtingere potest: Imputatio verò non fit nisi per fidem, Rom. 4. 5. Quia etiam (quo ad inchoatam sanctitatē) Spiritu sanctificantur in timore DEI, 2. Cor. 7, 1: non nisi qui credunt, & hoc Spiritu aguntur, Rom. 8. 14. Consequens profectò fuerit, eos omnes, qui Fidem & Spiritum Sanctum non habent, licet sint in Ecclesiâ Sanctos tamen dicendos.

X C II.

Et sanè si Ecclesiâ in singulis membris sanctam esse necessum sit, mox nulla in terris Ecclesia supererit.

X C III.

Certè D. Petrus non recto pede ad veritatem Evangelij incesit, Gal. 2, 14. Et quàm sunt multa ac gravia, quæ in suis Corinthiis ac Thessalonicensibus Apostolus reprehendit, quos tamen in Ecclesia fuisse, ipsemet restatur. X C IV.

Quare ut Ecclesia sit sancta, non oportet omnes esse sanctos, qui illius partes sunt: sed satis est, nonnullos & aliquam multos in ea Sanctos esse: & veram in illa sanctitatis viam ac rationem tradi & monstrari. X C V.

Infert hinc Confessio nostra, Articulo Octavo, multos semper malos & hypocritas admixtos esse veræ Ecclesiæ: per Malos intelligens, qui peccatis contra conscientiam delectantur, aut etiam qui, licet interdum scelerum pœnitentia ducantur, in pristinam tamen impietatem relabuntur, veluti canis ad vomitum & sus lota ad volutabrum cœni revertitur, 2. Pet. 2, 22.

X C VI.

Per hypocritas verò eos notans, qui de capitibus doctrinæ Christianæ consentire quidem se simulant, & in exteriori conversatione sese ita gerunt, ut nescio quam sanctitatis speciem præ se ferant; interim tamen virtutem ejus abnegant. 2. Tim. 3, 5. & in facie quidem gloriantur, non verò in corde. 2. Cor. 5, 12. Scrip-

XCVII.

Scripturarum autoritate hoc confirmari potest: Nuptijs regis interfuisse etiam dicitur ille, qui missus est in exteriores tenebras, Matth. 22, 12, 13. Regnum cœlorum, hoc est Ecclesia, simile est reti, in quo omnis generis pisces colliguntur, quorum in littore demum, hoc est, in fine mundi fiet segregatio, Matth. 13, 47. Apostolus Paulus in magna domo, quæ est Ecclesia, non modò aurea & argentea vasa, sed & lignea ac fictilia: & alia quidem in honorem, alia in ignomiam reperiri docet, 2. Tim. 2, 20. Ecclesia deniq; est area illa, in qua sic collectum est triticum, ut admixtæ sint & paleæ, nondum ventilabro ab illo separata, Matth. 3, 12.

XCVIII.

Factum hinc est, ut in scholis Theologorum, pro distinctis habeantur phrasibus, Esse in Ecclesia, & esse de Ecclesia.

CXIX.

Nam in vera Ecclesia sunt mali & hypocritæ: in falsa Ecclesia sunt boni & verè pij: sed neutri sunt de ea Ecclesia, in qua sunt: sed utriq; sunt in ea, de qua non sunt; ac proinde partes quidem, sed non membra Ecclesiæ in qua sunt, dici possunt.

C.

Quòd verò toti isti cœtui, sanctitatis elogium adscribitur, id fit per synecdochen scripturis valdè usitatam: quia cœtus vocatorum est officina Sanctificationis piorum: & in hoc cœtu semper sunt, qui verè sunt Sancti.

CI.

Haud secus ac acervus triticeus, nondum vanno & cribro sive ventilabro à paleis repurgatus, dicitur nihilominus acervus triticeus, facta denominatione à potiori & præstantiori ejus parte.

CII.

Sic tota interdum Concio Auditorum nominatur Electi, Sancti, respectu excellentioris partis.

CIII.

Hinc est quòd ipse Antichristus dicitur sedere in ipso templo Dei, 2. Thess. 2, 4. hoc est, in Ecclesia: non sanè, quòd ipse sit vera Ecclesia, vel ejusdem membrum: Sed duntaxat propter veras veræ Ecclesiæ reliquias, quas etiam sub medio Antichristi regno Deus sibi servavit, ut non curvarent genua coram Baal.
Quid!

CIV.

Quid? Quòd ipse Paulus suo tempore scribens ad Ecclesias & civitates conversas, vocavit eas sanctas: cum tamen, eodem teste, tum modò ipse Antichristus in medio ipsorum mysteriù iniquitatis operaretur, 2. Thess. 2, 7.

CV.

Quòd si igitur Ecclesiæ sanctæ dici potuerunt, in quibus Antichristus ipse modò regnare ceperat: ipse verò Antichristus sanctus propterea minimè fuerat: manifestum est Sanctitatem Ecclesiæ tributam, ex æquo non competere omnibus vocatis promiscuè: & malos Bonis semper fuisse admixtos.

CVI.

Cæterum in Attributi hujus enodatione, illa per quam classica se offert Quæstio: An Ecclesia erret, aut errare possit.

CVII.

Negativam per omnia, simpliciter & absolutè tenent Adversarij, Doctores Pontificij. **CVIII.**

Sed breviter res expediri potest: ut negemus Ecclesiam errare: & simul etiam eandem errare posse affirmemus, diverso respectu.

CIX.

Errare non potest Ecclesia, si totam ac universam Ecclesiam respicias, quæ nunquam tota erravit, si unicum illum proplasterum lapsum excipiamus: nunquam etiam tota errare potest, quippe quæ habet infallibilem promissionem de Spiritu Sancto inducturo eam in omnem veritatem, Ioh, 16, 13. Habet item promissionem, quòd portæ inferorum adversus eam non sint prævalituræ Matth. 16, 18. **CX.**

Hinc est, quòd eam columnam & fundamentum veritatis appellavit Apostolus, 1. Tim. 3, 15. Hinc perpetuò eandem mansuram nostra credit Confessio: peritura utiq; aut desitura, si tota illam errare contingeret. **CXI.**

Rursus errare potest Ecclesia, & graviter erravit sæpissimè: cum magna vel etiam maxima eius pars errat: id quod probatur exemplis, de Ecclesia tempore diluvij, tempore Eliæ prophetae, tempore nati Christi, tempore Arianismi per totum Orientem Ecclesias occupantis, &c. **CXII.**

Quæ exempla validissimè demonstrant, errasse quidem Ecclesiæ partem maximam, imò columnas etiam & Antistites: interim

C

terim

terim tamen non totam ac universam errasse Ecclesiam: siquidem semper fuerunt, qui ab errore immunes, & si non adulti ulli, infantes certè conservarentur.

CXIII.

Sic in Concilio Niceno uno resistente Paphnutio, tota Ecclesia errasse dici non potest: Sic tempore Eliæ, reservavit sibi Dominus septem millia, quæ non flexerunt genu coram Baal. Sic tempore Papatus, non tota erravit Ecclesia: Fuerunt enim in medio Papatu semper, qui Pontificijs erroribus reclamant, uti in *Questione* sequente ostendetur.

CXIV.

Quando ergò Pontificij ex hac hypothese colligunt, Ecclesia errare non potest: Atqui superioribus seculis non fuit Lutherana Ecclesia, E. Pontificia Ecclesia vera fuit Ecclesia, perquam est frivolum ac desultorium.

CXV.

Quod enim de tota Ecclesia negatur, id de singulis etiam negari partibus inscitè contendunt. Stat utrumq; immotum: Ecclesia tota simul errare non potest: Et Romana Ecclesia verè erravit, hodieq; errat.

CXVI.

Pari ratione, observato isthoc discrimine, facillimè solvi & dissipari possunt, quæcunq; Pontificij ex hac hypothese, pro auctoritate & veritate suæ synagogæ fabricare nituntur.

Questio IV. Quòd Ecclesia perpetuò sit mansura.

CXVII.

Pergit Confessio nostra, & Ecclesiam perpetuò mansuram credit & confitetur.

CXVIII.

Id quod Symbolum Apostolicum etiã innuit, dùm nos vult Ecclesiam credere: Quemadmodum enim fidei materia perennis est: ita semper in mundo fuisse, nullo non tempore esse: neq; unquam desituram Ecclesiam, fuerit consequens.

CIX.

Fundamentis promissionum firmissimis innititur hæc fides: Portæ inferorum non prævalebunt adversus Ecclesiam, Matth. 16, 18. Et Christus valedicturus discipulis, Ecce, inquit, Ego sum vobiscum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. Matth. 28, 20.

120. Huc.

CXX.

Huc pertinent universa scripturarum testimonia, quotquot de regno Christi sempiterno & perenni loquuntur. Luc. 1, 33. Psal. 45, 7. Pl. 48, 9. Pl. 89, 37. Daniel. 2, 44.

CXXI.

Neq; obstant Oraculorum divinorum querelæ, quibus innui videtur, quasi fuerint tempora, quibus nulla in terris fuerit Ecclesia: ut Jerem. 2, 26. & 27. Confusi sunt domus Israel, ipsi & reges eorū, principes & sacerdotes, & Prophetæ dicentes ligno, Pater meus es tu: & lapidi, Tu me genuisti. Quid vultis mecum iudicio contendere? Omnes dereliquistis me inquit Dominus.

CXXII.

Donatistæ sanè ex huiusmodi querelis, universalem Ecclesiæ eclipsin comminisci non sunt veriti, teste Augustino lib. de unit. Eccl. cap. 12.

CXXIII.

Verùm observandus est stylus Propheticus, qui unâ notatione totum populum comprehendit, quando in eo longè major est malorum numerus, quàm piorum: per synecdochen scripturis valdè frequentem.

CXXIV.

Sic Iezech. 3, 7. dicitur quidem tota domus Israel esse attrita fronte & duro corde: at interim, c. 9, 4. jubetur Propheta signo Thau notare frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationib⁹, quæ fiunt in medio ejus. Ergo non omnes erant attrita fronte, & duro corde.

CXXV.

Obstrepunt verò Pontificij: si semper fuit vera Eccl. in mūdo: Lutherana verò Eccl. superiori seculo non extitit. Consequens igitur esse, Romanā Eccl. fuisse veram Ecclesiam. Vel: si Lutherana Eccl. est vera: sequetur ante exortū illius, nullam in terris fuisse Christi Ecclesiā: ac proin, qui sub Papatu vixerunt, omnes damnatos fuisse.

CXXVI.

Verùm nullus inest hypothesi huius argumenti nexus, nulla ratio.

CXXVII.

Esto enim utrumq;, & Lutheranam Ecclesiam, sive ipsi per omnia conformē superiori seculo non extitisse: & omnes sub Papatu damnatos esse (Quorū tamen neutrum concedimus) Num propterea Romana Ecclesia, vera erit Ecclesia?

CXXVIII.

Minimè gentium: Neque enim Romana Ecclesia unquam fuit

fuit universalis sive tota Ecclesia, quippè quæ, uti supra ostensum, totum terrarum orbem nunquam occupavit; Quin Orientè qui à jugo Pontificio mansit immunis, veram Ecclesiam tum constituisse, fuerit consecutaneum. CXXX.

Deinde, si vel hæc ipsa quoq; Græca Ecclesia haud omnis erroris fuit expers, uti certè non fuit, ijs præsertim temporibus, quibus Constantinopolitani imperij facta est inclinatio; Nihilominus tamen in medio etiã Papatu vera fuit Ecclesia: licet ipse Papatus hæc non esset. CXXXI.

Fuerunt tales 1. Sancti illi Martyres, qui Papatui reclamantes, suo etiã profuso sanguine testimonium veritati perhibuerunt: Quorum sanguine Romana Babylon, à Iohanne inebriata dicitur, Apocal. 17, 6. CXXXII.

Fuerunt deinde qui fidei Christianæ rudimenta, quæ parentum inculcatione à teneris perceperunt, regulam sibi inculpatæ simplicitatis esse passi sunt: quiq; in agone constituti, omisâ operum fiduciâ, in unicam Dei misericordiam, passione filij declaratam sperarunt, & vera fide in ipsum decesserunt. CXXXIII.

Fuerunt deniq; infantes, qui lavacro regenerationis sanctificati, prius in vivis esse desierunt, quam gustum ullum idolomania Pontificiæ perceperint. CXXXIV.

Hi ergò tres cœtus veram constituerunt in medio Papatu Ecclesiam, & tandem etiã in Triumphantem illam ac supercœlestem Ecclesiam translati fuerunt. CXXXV.

Constat inde fieri quidem posse, ut vera Ecclesia lateat abscondita, & aspectabilis ejus forma atq; gloria non semper in oculos incurrat; licet ipsa nunquam deficiat, CXXXVI.

Vtrumq; enim fuit prædictum: Et quòd Ecclesia suum decus atq; splendorem forâs etiã sit editura: & quòd tanta futura sit seductio, ut si fieri possit, in errorem inducerentur etiã electi: exurgentibus pseudochristis & pseudoprophetis, Matth. 24, 24. sedente in templo Dei, filio perditionis, homine peccati Antichristo, 2. Thes. 2, 4. & meretrice nobili illa, Babylone Mystica (Ecclesia Romana) poculo scortationis suæ corrumpente terram, & inebriante in ea gentes & populos, Apocal. 13, 7. & 8. 17, 2, 18, 3.

Impu-

CXXXVII.

Impudens ergo est postulatum Romanensium, monstrari sibi flagitantium talem Ecclesiam superioris seculi, quæ quoad publicum ministerium, & formam aspectabilem cum Lutherana per omnia congruat.

CXXXVIII.

Nam latuisse tùm veram Ecclesiam jam demonstravimus: Sed Quoad ministerium, tùm demum formæ aspectabilis iacturam Ecclesia facere putanda esset, si prorsus omni careret ministerio.

CXXXIX.

Iam verò forma illa aspectabilis Ecclesiæ, non in flagitioso tantum, quoad vitam & mores: sed & quoad doctrinam corrupto Ministerio ad tempus obtinere potest.

CXL.

Testatur hoc Servator ipse, Scribas & Phariseos non flagitijs tantùm pollutos: sed in doctrina etiam gravissimè errantes, in cathedra tamen Moïsi sedere pronuncians, Matth. 23, 2.

CXLI.

Testantur hoc exempla de Qualitate Ecclesiæ veteris Test, item Novi, tempore hæreses Arrianæ grassantis, quæ ita totum orientem & Occidentem est pervagata, ut in ipso etiam Ecclesiastici ordinis culmine, nihil sanum, nihil integrum uspiam appareret.

CXLII.

Hic igitur latuisse, non verò defecisse Ecclesiam rectissimè statuimus: & non semper eam in Episcopis, in sacerdotibus, in templis, in populi frequentia: Sed interdum & sæpius, in desertis, in sylvis, in speluncis, in cavernis terræ, ubi pie fideles latent absconditi eam quærendam esse, cum Athanasio, Hilario, & Augustino arbitrabimur.

CXLIII.

Cæterum perpetuam hanc Ecclesiæ durationem, de qua nostra agit Confessio, mirè corrumpunt Pontificij, dùm eam in continua & nunquam interrupta Episcoporum in Ecclesia successione consistere fingunt.

CXLIV.

Hæc enim prorsus caret omni Scripturæ testimonio, & tota Iudaismum partim, partim carnalia omnia resipit: & quid de ea sperandum aut cogitandum sit, divinis oraculis monemur, quæ prælagiunt, venturos in Ecclesiam ministros mendaces, qui subintroducuntur sint sectas perniciosas: imò ipsum Antichristum sedurum in Templo Dei: & ex ipsa Ecclesia emersuros viros loquentes perversa, 2. Pet. 2, 1. Thess. 2, 4. Act. 20, 30. Quod

CXLV.

Quòd Sancti Pates interdum ad successione[m] ordinariam provocasse leguntur: id Temporis illius conditioni & qualitati est adscribendum: neq; ad imitatione[m] rapi vel potest, vel debet.

CXLVI.

Erat enim 1. memoria Apostolici seculi recentior. 2. erat perspecta Episcoporum fides, quos tum Ecclesia habuit: Quæ omnia progressu temporis facta sunt contraria. 3. Quin non doctrinae veritatem ex ea aestimandam esse, ipsimet fatentur.

CXLVII.

Non sunt, inquit D. Hieron. Epist. ad Heliad. dist. 40. Sanctorum filij, qui loca tenent sanctorum, sed qui eorum exercent opera.

CXLVIII.

Quod si tamen tantoperè successione ordinaria delectantur Romanenses, ea, ne nos quidem illa reijcimus: verum omnino necessariò requiri fatemur. Successionem autem intelligentes nõ quæ respectum habet, ad loca & personas: sed ad doctrinam Prophetica[m] & Apostolica[m]: super quam superstructa est Ecclesia, Ephes. 2, 20.

QUÆSTIO V. ET VI.

Quid sit Ecclesia: & quæ ejus nota.

CXLIX.

Confessio nostra, his ita præmissis, definit Ecclesiam, *Quòd sit Congregatio sanctorum, in qua Evangelium rectè docetur, & Sacramenta rectè administrantur.*

CL.

Ecclesiae veræ & visibilis hanc esse definitionem ipse verborum sonus ostendit.

CLI.

Congregatio, quæ Generis locum obtinet, de notat & externam illam societatem live conventum piorum in templis: & internam illam fidelium communionem, sive spirituales animorum conjunctionem, in fide & Spiritu: Quæ solâ interdum pij contenti esse debent, prohibente externum illum conventum Tyrannorum crudelitate.

CLII.

Dicitur verò Ecclesia vera, congregatio non quorumvis, sed Sanctorum, quippe partim imputata Christi justitia, partim renovatione mentis sanctificationum.

Neq;

CLIII.

Neq; verò sanctorum notatio excludit malos & hypocritas admixtos: Sed duntaxat hoc locò Confessio nostra expendit, & describit ipsam Essentiam ac proprietatem veræ Ecclesiæ, Iam verò permixtio illa malorum ponitur in parte Accidentis.

CLIV.

Præterea sanctorum terminus tribuitur toti congregationi, à potiori facta denominatione, ut supra est ostensum.

CLV.

Reliqua, quæ in definitione continentur, ipsam differentiam specificam veræ Ecclesiæ exprimunt, quæ consistunt in certis illis notis & γνωρίσμασι Ecclesiæ veræ.

CLVI.

Sunt autem duæ duntaxat notæ, sive duo signa veræ Ecclesiæ: 1. Puritas doctrinæ cœlestis. 2. Legitimus Sacramentorum usus. Sive uti verba Articuli habent, recta prædicatio Evangelij, & recta administratio Sacramentorum.

CLVII.

De priore nota concionatur Christus partim affirmatè, Ioh. 10, 16. inquit, Oves meæ vocem meam audiunt; partim negatè, vers. 5. vocem peregrinorum non agnoscunt.

CLVIII.

De Sacramentis disserit Apostolus, Rom. 4, 11. nominans ea σημεῖα & signacula justitiæ fidei.

CLIX.

Pater indè Ecclesiam veram quærendam esse, non nisi in scripturis divinis & Canonicis, ex qua de doctrinæ & Sacramentorum puritate peri potest, imò debet iudicium.

CLX.

Oggerunt Pontificij, Ecclesiam priorem esse scripturâ. E, ex hac de illa non posse fieri iudicium.

CLXI.

Sed puerilis est hæc æquivocationis fallacia. Nam 1. scriptura posterior est Ecclesia non dignitate, sed tempore. 2. scriptura, quatenus scriptura, hoc est, literis consignata, posterior est Ecclesia: non itè, quatenus scriptura sumitur pro verbo DEI etiam non scripto.

CLXII.

Oggerunt ad illud, Ecclesiam simpliciter notiozem esse scripturâ:

ura: scripturarum enim interpretationē peculiare Spiritus Sancti donum esse, quod paucis obtingat. Ergò earum verum intellectum ex Ecclesiæ determinatione, tanquam notiore, petendū.

CLXIII.

Sed falsissimum est Antecedens. Nihil enim notius & lucidius ipsā scripturā, in ijs præsertim capitibus, quæ de salutis nostræ ratione agunt.

CLXIV.

Et ratio ipsa dicit: semen prius esse eo, quod ex eo nascitur, iam verò Ecclesia non nisi per verbum Dei, quod est semen illud incorruptibile, quo regeneramur, 1. Pet. 1, 23. colligitur, & conservatur. E. illud prius ac notius sit, necessum est.

CLXV.

Ogganniunt & illud: Notas veras atq; proprias esse prorsus ab Ecclesia inseparabiles. Atqui sæpius in Ecclesijs, ut in Corinthiacis non fuisse puram prædicationem Evangelij. E. hanc non esse propriam Ecclesiæ notam.

CLXVI.

Trium hypothesium observatione nodus iste dissolvitur. I. Particularium Ecclesiarum fermè omnium esse initio quædam quasi tyrocinia sive rudimenta: propter quæ tamen veritatis laus derogari ipsis nec potest, nec debet.

CLXVII.

Exempli gratia in Ecclesia Apostolica primùm aliqui dubitabant de Resurrectione Christi: in dubium vocabatur vocatio gentium, Veteris Testamenti abrogatio: nec tamen ideò veræ Ecclesiæ laudem amisit.

CLXVIII.

II. Doctrinæ Christianæ capita non ejusdem sunt necessitatis, licet omnia sint cum usu aliquo salutis conjuncta. Quædā ignorari possunt ad tempus sine periculo & damno salutis: qualia sunt, quæ de circumstantijs Articulorum quorundam disputari possunt: Alia verò, salvo fundamento fidei Christianæ ignorari non possunt. Posterioris hujus generis ignorantia, non verò prioris, veræ Ecclesiæ laudem tollit.

CLXIX.

III. Ecclesiæ cujuscunq; fidei nihil præjudicari potest ab ijs, quæ à privatis aliquibus, aut singularibus ejusdem membris sentiuntur aut docentur: sed veritas & falsitas, non nisi ex doctrina ea, quæ publicè & communiter est recepta, æstimanda atq; metienda fuerit. *De reliquis videbimus in ipso disputationis actu.*

Deo Soli Gloria,

4/1935 a


ULB Halle 3
001 541 250



56







DISPUTATIO XIV.
DE ECCLESIA.

*Ex Septimo & Octavo Confessionis Augustanae
Articulis*

Ad cujus assertiones

Divinà adspirante gratià

Sub presidio

LEONHARTI HVTTERI, S. Theolo-
giae Doctoris, & Professoris publici:

Respondebit

CASPARUS RIGEMAN RIGEN-
sis Livonus.

Ad diem 18, Martij; horis antemeridianis,



WITTEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri,

Anno cl^o 1^o XCVIII.

13

